

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis.
Intimum "Vocis Urbis,, gaudium.

Sacrae Theologiae obiectum.

Quid Sacerdotes debeant de Arte scire.

De re litteraria apud Subalpinos. Operis conclusio — Salutatio.

De S. Gregorii Nazianzeni epigrammatis ad Matrem.

Ex Italib[us] urbibus. De «Cetaria» pago nuper aquarum eluvionibus direpto.

In Cetariae reliquias.

Acta Pontificia. SS. D. N. Pii PP. X litterae ad Gasparem Decurtins,
Doctorem Decurialem in athenaeo catholico Friburgensi missae de
modernismo litterario.

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-
lectae:** Ex Congregatione Rituum.

Diarium Vaticanum.

Annales: In «Latina America» seditiones — Lusitanae novae reipublicae
gesta — Mauritana res.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

librorum recensio. (D. Pianaroli Moroni).

Aenigmata.

Appendix: Arrae Gorgoniae — Euplius.

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Novo adventante anno, quem hilari animo XIV inscribemus, socios et lectores consalutare iuvat, iisque gratiam referre sive qui per arduum tot annorum iter nos comitati sunt, sive qui novissimi accesserunt; omnibusque simul cum votis hisce diebus ab amicis proferri solitis, nostra quoque ingeminari. Nonne enim una nobiscum eorum mens, unus animus, propositum unum, latinum sermonem ita diffundere, ita ad eius amorem alias incendere, ut quum persuasum ubique fiat ipsum ad universas res, vel recentissimas, exprimendas apprime idoneum esse, doctorum virorum saltem apud gentes omnes commune eloquium evadat?

Haec *Vocis Urbis* commentarii condendi causa; haec apud Societatem Editricem nostram eius prosequutionis ratio. Faxit Deus, ut quomodo haec videt apud diarium suum Romanum, cui titulus *Corriere d'Italia* non factiosos Italorum animos in dies colligi viresque suas a patriae nostrae borealis regionibus per ephemeridem *L'Avenir d'Italia* ad australes usque, per diurnum pariter commentarium *Il Corriere di Sicilia*, confirmatas, videat pariter *Vocem Urbis*, ad bonum summum intentam, Italiae fines magis in dies transgredi, atque latius latiusque propagari per orbem.

* * *

Quod ad nos pertinet, quibus munus commissum est non parvi hoc momenti negotium moderandi, ab antiqua nostrum agendi ratione, tam magno consensu et accepta et probata, nunquam aberrabimus. Scripta igitur in *Voce Urbis* proximo quoque anno edentur «quae populos omnes aliquo modo attingant, a pubblica re ad bovinas artes, a litteris ad simplici et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas a S. Congregationibus positas; haec omnia ut quisquis vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, altero ab altero difformis, per commentarium hunc explere desideria sua possit».

Quo autem sociorum animus ad operandum nobiscum magis sollicitetur erunt etiam anno MDCCCCXI *singularia praemia*, sub anni exitum assignanda, trium numismatum argenteorum ex iis, quae Pon-

tifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis eudi iubet Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda. Quorum unum collegio aut seminario, aut scholae illi tribuetur, unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum pervenerint; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio, ad hoc constituto, commendata maxime fuerint.

Pretium quoque subnotationis immutatum permanebit; quod est in Italia libell. sex; ubique extra Italiam libell. novem (Doll. 1,80; Sch. 7; Marc. 7; Rubl. 4; Coron. 9). Qui autem ephemeridum a Societate nostra editarum (Corriere d' Italia, Romae; L' Avvenire d' Italia, Bononiae; Corriere di Sicilia, Panormi) subnotator exstiterit, is Vocem Urbis dimidiato pretio habere poterit.

* *

Restat ut animorum vestrorum, o Socii et Lectores humanissimi, nobiscum adiunctio immutata et ipsa permaneat, utque vota perficiantur, quibus vestrum unus, Titus Curzius, Canonicus, pro summa eius humanitate, Natalios Domini proximos dies, faustos nobis ita nuncupabat:

O VOX URBIS SUAVIS
QUAE DECIMUM IAM TERTIUM ANNUM
ROMANORUM LITTERAS
PER ORBEM TERRARUM TUERIS FOVES
TIBI DE CHRISTIANA SAPIENTIA ET HUMANITATE
OPTIME MERITAE
ADVENTANTE DIE NATALI IESU DEI SERVATORIS
OMINOR CUNCTA FAUSTA FELICIA
IDEMQUE PRECOR EX ANIMO
UT COMMENTARIUS UNDE TU EDUCTA
DOCTE DISERTA PERSONAS
SUBNOTANTIAM NUMERO AUGEATUR
HUNC STUDIOSE LEGANT AC PERVOLVENT
QUOTQUOT ANIMUM DOCTRINA EXEMPLIS EXCOLUNT
VIRI SACRIS FACIUNDIS
SUMMO IN HONORE HABEANT HUIUSCE CONSUETUDINE UTANTUR

Intimum VOCIS URBIS gaudium

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri, dum proposita nostra in proximum annum, uti supra, edicimus, laetum simul afferimus nuntium, qui ipsis profecto ita pergratus erit, uti nos iucundissime affecit.

Agitur de insigni honore, quo hisce diebus auctus est alacer Commentarii nostri curator, *Iosephus Fornari*, qui ab annis duodecim et ultra in his paginis et ipse scribit assidue, et aliorum scripta colligit atque opportune revisa ordinatim disponit. Namque illum Pius X Pont. Max., quem Deus in multos annos sospitet, sua sponte et proprio, ut aiunt, motu, per Breve diei XXII Novembris inter Equites clarissimi civilis Ordinis a S. Gregorio Magno adlectum voluit, pretiosis eiusdem dignitatis insignibus dono etiam missis.

Verba quibus in Litteris Pontificiis, Fornarii « eximia virtutum ornamenta » laudantur, ob quae « omnium egregia opinione floret », spectant imprimis ad eius religionem, pietatem et peculiare erga Romanam Cathedram obsequium; quae quidem Iosephus noster luculentissime prodidit tum in regenda sodalitate Petriana e Catholica Italorum Iuventute, tum in pluribus negotiis a SSmo. non semel ei commissis, et maxime in curanda illa orphanorum legione, quam in clade Messanensi et Reginna superstitem benignissimus Pontifex adoptare suisque expensis educare dignatus est. His namque pueris ac puellis, hac illac disperitis, deputatus est Fornarius veluti tutor atque administer: quos proinde saepe invisit, paterna Pontificis monita atque etiam munuscula deferens, moestos consolans, recreans aegrotos, bene mornatos laudans eosque arguens qui forte se parum dociles ostenderint.

At Breve pontificium « iuris ac latini sermonis peritiam » laudat insuper Iosephi, inde profecto respiciens egregiam eius operam quandam apud Sacrorum Rituum Congregationem - in cuius commodum codicem composuit de processibus in causis Beatificationis et Canonizationis sequendis -, nunc autem apud Supremum Signaturae Apostolicae tribunal; hinc ipsam hanc *Vocem Urbis* nostram de litteris latinis egregie sane meritam, cui sollertissimus ipse moderator et scriptor eruditus tamdiu operam et dedit ac porro dabit indefessam.

Novo equiti igitur Gregoriano, amico nostro dulcissimo, plaudimus, atque impertitum honorem ex animo gratulamur.

SOCIETAS ROMANA EDITRIX.

SACRAE THEOLOGIAE OBIECTUM

(Cfr. num. X).

Quia scientia omnis proprium possidet obiectum, de scientiae theologiae obiecto ultimo dicendum superest.

Circa sacrae Theologiae obiecti determinationem lectorem meminisse iuvabit S. Augustini verba (1): « Quid ad nos quid grammatici velint? Melius in *barbarismo* nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos deserti eritis... Non timeamus ferulas grammariorum; dum tamen ad veritatem solidam et certiorem perveniamus ».

Triplex igitur scientiae obiectum solet a theologis distingui, id est, materiale *quod*, formale *quod*, formale *sub quo*. « Obiectum materiale - inquit Billuart (2) - est id quod a potentia vel habitu attingitur quidem, non tamen ratione sui sed ratione alterius. Obiectum formale est id quod a potentia vel habitu attingitur ratione sui, et ratione cuius caetera attinguntur. In obiecto formali duplex ratio debet distingui: ratio *quae*, et est ipsa res quae attingitur, et dicitur obiectum formale *quod*: et ratio *qua seu sub qua*, et est id quo mediante ratio *quae* attingitur, et dicitur obiectum formale *qua seu sub quo*: ita ut ex hac dupli ratione *quae et qua* integratur obiectum formale *quod* est specificativum potentiae vel habitus. Sit exemplum in potentia visiva: obiectum eius materiale est corpus: formale *quod* color: formale *qua lux*; formale specificativum coloratum lucidum ». Clarioribus forsitan verbis dicamus: Materiale obiectum scientiae est materia universa, quae a scientia atque ab eiusdem scientiae studioso investigatur. Obiectum formale *quod* est specialis adspectus sub quo materia scientiae a studioso investigata menti sese offert, quique a mente in universa materia illa, speciali ratione discooperitur. Obiectum formale *sub quo* est norma vel cri-

terium quibus scientia atque scientiae studiosus diriguntur (1) tum circa materiae universae investigationem, tum circa materiae speciale adspectum discooperiendum.

Angelicus Doctor (2) circa Theologiae obiectum, quorundam theologorum sententiam affert qui « attendentes ad ea quae in ista scientia tractantur, et non ad rationem secundum quam considerantur, assignaverunt aliter materiam huius scientiae; vel res et signa, vel opera reparationis, vel totum Christum, id est, caput et membra; de omnibus enim istis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum ». Sententiam vero suam manifestat per verba haec: « Deus est subiectum huius scientiae. Sie enim se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam vel habitum. Proprie autem illud assignatur obiectum alicuius potentiae vel habitus, sub eius ratione omnia referuntur ad potentiam vel habitum; sicut homo et lapis referuntur ad visum in quantum sunt colorata; unde coloratum est proprium obiectum visus. Omnia autem tractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subiectum huius scientiae. Quod etiam manifestum fit ex principiis huius scientiae, quae sunt articuli fidei, quae est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum et totius scientiae, cum tota scientia virtute contingatur in principiis ».

Billuart (l. c. a. 5) circa Theologiae obiectum ponit tres propositiones. Prima propositio est: « Obiectum formale *quod* Theologiae est Deus sub ratione Deitatis ». Ratio est quia « Deus ut Deus, est id quod principalius et ratione sui attingitur a theologia, est enim, ut dictum est, sermo seu consideratio de Deo; et ratione illius cetera in ea quaeruntur et tractantur; quae enim tractantur in theologia, vel sunt ipse Deus, vel dicunt ordinem ad Deum, sive ut proprietates ad essentiam, sive ut media ad finem, ut sunt actus humani, virtutes, Incarnatio, sacramenta, etc. ».

Secunda propositio a Billuart statuta est: « Obiectum formale *quo* Theologiae est divina revelatio virtualis et mediata ». Ratio est, « quia sub illa ratione et ea mediante attingit quaecumque tractant de Deo, sicut mediante luce visus attingit quodvis corpus coloratum ».

Tertia propositio est: « Obiectum materiale adaequatum Theologiae est omne quod cadit sub divina revelatione virtuali et mediata ». Ratio est, quia « theologia potest attingere et contemplari omne ens ratione Dei, quatenus subest revelationi virtuali et mediatae ».

P. Ianssens (3) circa Theologiae obiectum sequentia habet: « Quum supra viderimus, obiectum formale sa-

(1) Cf. MERCIER, *Philos.* vol. 1-4, Nota 2. « L'objet matériel d'une science est la chose qu'elle étudie considérée indéterminément. L'objet formel est l'aspect spécial sous lequel la chose se présente au regard de l'esprit ». —

(2) 1. p. q. 1. a. 7. — (3) Praelect. de Deo uno 2. q. 1. a. vii in corp. et in nota.

erae doctrinae esse Deum, et omnia uti ad Deum ordinantur, lumine revelationis cognita, sequitur subiectum sacrae doctrinae esse proprie Deum, et omnia alia propter Deum... In theologia ratio *quaē* est ipsa Deitas et alia omnia in ordine ad Deum...; ratio *sub qua* est lumen revelationis divinae ».

P. Pesch (1) ait: « Obiectum formale Theologiae est verum demonstrabile ex revelatione divina publica; obiectum autem materiale est, quidquid ex hac revelatione cognosci potest. Hinc apparet differentia inter theogiam naturalem et supernaturalem, quae habent idem subiectum: Deum. Theogia enim naturalis de Deo agit, in quantum Deus ex mundo adspectabili et ordine naturali cognoscitur. Theogia autem supernaturalis ab ipso Deo loquente discit, quae de Deo tradit; illa nititur revelatione Dei naturali et improprie dicta; haec revelatione Dei supernaturali et proprie dicta ».

Prof. Specht (2) scribit: « Obiectum principale Dogmaticae Deus est, vel in se vel in activitate sua ad extra. In primo casu consideratur eius essentia eiusque trinitas, in secundo consideratur uti Creator, Salvator, Sanctificator, Consummator ».

Sententiae quas retulimus claritate aliquantulum deficere nobis videntur. Demus igitur circa Theologiae obiectum huiusmodi responsiones:

a) Obiectum materiale Theologiae est *doctrina catholicā*. Nomine siquidem materialis obiecti scientiae intelligitur materia universa, quae a scientia atque a scientiae studioso investigatur. Modo Theogia ac ipse Theologiae studiosus *doctrinam catholicā* investigant, quae propterea obiectum materiale Theogiae est. Hic unum animadvertisendum placet, doctrinam videlicet catholicā in Symbolo contineri, atque per quatuordecim articulos exprimi, quorum septem pertinent ad Divinitatem, septem ad Humanitatem Iesu Christi. S. Thomas (3) circa articulorum Fidei enumerationem ita se exprimit: « Circa maiestatem autem divinitatis tria nobis credenda proponuntur: primo quidem unitas divinitatis, et ad hoc pertinet primus articulus; secundo trinitas personarum, et de hoc sunt tres articuli secundum tres personas; tertio vero proponuntur nobis opera divinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturae, et sic proponitur nobis articulus creationis; secundum vero pertinet ad esse gratiae, et sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam; tertium vero pertinet ad esse gloriae, et sic proponitur nobis aliis articulis de resurrectione carnis et de vita aeterna. Et ita sunt septem articuli ad Divinitatem pertinentes. Similiter etiam circa Humanitatem Christi ponuntur septem articuli, quorum primus est de incarnatione, sive de conceptione Christi; secundus de nativitate eius ex Virgine; ter-

tius de passione eius, et morte, et sepultura: quartus est de descensu ad inferos; quintus est de resurrectione: sextus de ascensione; septimus de adventu ad iudicium; et sic in universum sunt quatordecim ».

b) Obiectum formale *quod* Theogiae est Deitas. Obiectum enim formale *quod* scientiae alicuius, est specialis adspectus sub quo materia scientiae a studioso investigata mente sese offert, quique a mente in universa materia illa, speciali ratione discooperitur. Sed specialis adspectus sub quo doctrina catholicā, quae materia est Theogiae, menti eiusdem Theogiae studiosi sese offert, est Divinitas; pariter adspectus qui a Theogiae studioso in doctrina catholicā discooperitur est Divinitatis adspectus. Ergo Divinitas est obiectum formale *quod* Theogiae. « Omnia - inquit Angelicus (1) - tractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem ».

c) Obiectum formale *sub quo* Theogiae est lumen divinae revelationis. Nam obiectum formale *sub quo* scientiae est norma vel criterium quibus scientia atque scientiae studiosus diriguntur tum circa materiae universae investigationem, tum circa specialem adspectum materiae illius discooperiendum. Sed in scientia theologica studiosus tum circa doctrinam catholicā tum circa specialem adspectum qui discooperitur in ea, et qui mente sese offert, dirigitur lumine revelationis divinae. Ergo lumen divinae revelationis est obiectum formale *sub quo* Theogiae. - « Propria - inquit Angelicus (2) - huius scientiae cognitio est quae est per revelationem, non autem quae est per naturalem rationem ».

Animadvertisendum est cum eodem Angelico (2) Theogiam inniti « revelationi Apostolis et Prophetis factae qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factae ».

Theogia igitur vere et proprie scientia dicenda est, scientifica eiusdem methodus est retinenda, ad scientificum ordinem pertinet eius obiectum. Concludere propterea necesse est, errare Modernistas dum propositionem 13^{am} Syllabi a Pio IX damnatam iterum proclamat, methodum scilicet et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theogiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruere. Errare rursus dum proclamat Theogiae studium esse veluti inutile pondus relinquendum. Deus enim de quo Theogia agit, - prouti S. Augustinus (3) scribit - « causa institutae universitatis, lux perciendiæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis » est.

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) S. sp. 1. 7. — (2) Ib. a. 8. ad 2. Cf. Fei Theol. Dogm. Vol. I. n. 4.
— (3) De Civ. Dei 1. 8. c. 10 n. 2.

Iniuriarum remedium est oblivio.

SENEC., Ep., CVIII, 9.

(1) *Instit. Propaed.* §. 2. — (2) *Dogmatik I. B. Einleitung*, 2. — (3) 2-2^{ae} q. 1. a. 8.

Quid Sacerdotes debeat de Arte scire

Sacerdotes sunt magistri in Israel, id est doctores in populo Dei. Oportet igitur eos nedum sacras disciplinas edoces, verum etiam omnibus illis notionibus, quas communiter laici possident, imbutos esse. Inter huiusmodi notiones illae eminent, quae, licet profanae, tamen sacras disciplinas attingunt, uti notitiae de historia naturali, de physice, de philologia, at praesertim de artibus. Quum plures de opportunitate cognitionis profanarum disciplinarum in sacerdote omnibus temporibus loquuti sint, et ex adverso perpauci magnam utilitatem, imo necessitatem cognitionis artis in sacro ministro ostendere curaverint, hanc secundam thesim breviter demonstrare opportunum censui.

Quid autem est ars? Ars obiective considerata est systema regularum ad certas operationes explendas directarum. Subjective considerata dici potest: habitus practicus regulas ad actionem applicandi.

Artes, aliae serviles aliae liberales sunt, prout in ipsarum exercitio corporis vires vel animi facultates praevalent. Artes serviles italice *mestieri*, liberales *artī* simpliciter appellantur. Hae aliam divisionem secundum obiecti diversitatem patiuntur: quaedam enim ad verum diriguntur (grammatice, rhetorica, logica, etc.) aliae ad bonum partiale vel totale hominis, uti arithmeticā, medicinā, ethica; aliae denique ad pulchritudinem, unde artes pulchrae, seu bonae artes vocantur.

Ex quibus tres, architectura scilicet, sculptura, pictura, oculum delectant; una, musices, ad aures dirigitur; una denique phantasiae loquitur, poēsia.

De his praecipue, videlicet de bonis artibus, hic sermo erit, quum ceterae fere omnes a sacris ministris plerumque ediscantur. Bonae artes eo sunt nobiliores, quo simplicior et minoris magnitudinis est res materialis ad opus pulchrum efformandum adhibita: hinc ipsarum series iuxta progressivum nobilitatis gradum haec statuit potest: architectura, sculptura, pictura, musice, poēsia.

In suis operibus artificem duos fines sibi proponere necesse est; directum unum et proximum; alterum indirectum et remotum.

Finis directus pulchritudo est, et consequenter delectatio admirativa exinde oriens; quapropter artifex non est, qui non ad pulchritudinem, sed ad scientiam tendit. Sed quia humanum omne delectamentum rationi conformari debet, et bono hominis reali, id est bono honesto, subordinari oportet, ita artifex veluti finem indirectum et remotum suorum operum bonum morale habebit, id est vel honestam animi recreationem vel interiorem hominis perfectionem, cuius animus per bonas artes elevatur et nobilitatur. Dicit enim Doctor Angelicus: « Omnes scientiae et artes ordinantur ad unum, scilicet ad hominis perfectionem » (*Prooem. Metaphysicae Aristotelis*) et Augustus Conti: « Ars est ad pulchritudinem; at pulchritudo ad verum et bonum » (1).

(1) *L'arte è per la bellezza, ma la bellezza è per la verità e per il bene.*
(A. CONTI. *Il bello nel vero*, vol. I, pag. 137).

Iam elucet quam maxime conveniat sacerdoti cognitio bonarum artium, quum ipsius munus sit animos hominum ad veri pulchri et veri boni cognitionem adducere. Sed id ipsum magis apparebit si singillatim bonaes artes considerentur, si variae ipsarum manifestaciones perpendantur, si regulae denique ipsas artes moderantes breviter exponantur.

**

De architectura. — Architectura est ars, quae aedificando ad aedificii pulchritudinem praecipue tendit. Quum aedificium vel privata domus, vel publicae aedes, vel sacrum templum esse possit; hinc architectura in privatam, publicam, sacram distinguitur. Architectura sacra ceteris antecellit eo quod, sicut omnium bonarum artium, ita etiam architecturae excellentissima inspiratrix religio nunquam non fuit.

Revera maximae architecturae manifestaciones inter religiosa monumenta, praecipue a christiana fide inspirata, requirendae sunt.

Nam christiana religio praeterquam quod in suas basilicas classicos conceptus opportune mutatos induxit, novos, et quidem pulcherrimos, invexit.

Huiusmodi sunt sublimes illae « styli byzantini » formae, item « styli longobardi », ac praesertim « styli gothici » productiones: templa enim hunc stylum praeseruentia, propter pinnacula altissima et sublimia, propter arcus ex acuto vertice, propter polychromas fenestrarum animum rapiunt et ad caelestes cogitationes facilius extollunt.

Praeterea novas partes ars christiana templo addidit: baptisterium, turrim campanariam, tholum. Inde apparet quanta inter religionem et architecturam relatio intersit; ideo sacerdotem etiam leges aestheticas architecturae cognoscere opportunum videtur.

Ad pulchritudinem autem in architectura obtinendam, quadruplex requiritur harmonia. Imprimis harmonia inter varias lineas (*eurithmia*) absque torsionibus vel interruptionibus, adeo ut partes cum toto aequam proportionem habeant, et visionem unicam et gratam oculo praebant. Secundo harmonia inter ornatus (coronas, interpensiva, denticulos, fascias, zophoros, picturas, statuas, anaglypta) et aedificii massam, adeo ut illi non ut res inutiliter superpositae, sed ut decora ornamenta apparent.

Requiritur tertio harmonia inter formam aedificii et eius positionem, itemque inter formam aedificii atque eius usum. Ita parva domus, quae castelli formam praeseferat dicta harmonia earuerit; atque idem defectus haberetur si magnum conclave ad profanum usum exstructum sacri templi formam exhiberet.

Quarto harmonia partium cum stylo aedificii exigitur. Exempli gratia ordo doricus sepuleris convenit; corynthius aedibus elegantia et splendore refulgentibus.

**

De sculptura. — Sculptura anterior pictura fuit, ita ut silices et ossa ab hominibus praehistoricis insculpta inveniantur. Ab Augusto Conti definitur: « Ars qua humana figura ad scopum pulchritudinis solide representatur ». Saepe humanam figuram aliae statuae (equo-

rum, leonum, hominum) comitantur, sed semper harmonice ad illam.

Innumera et magnifica opera sculpta christiana religio inspiravit; in Italia praesertim in omni fere civitate aliquod sacrum monumentum inestimabilis valoris invenitur.

Regulae seu leges, quae sculpturam moderantur, fundatum ex triplici harmonia repetunt, unde pulchrum exsurgit. Hinc requiritur: 1^o) harmonia omnium partium figurae cum figura ipsa; 2^o) harmonia exterioris formae cum statu psychologicu in quo verisimiliter persona insculpta invenienda est; 3^o) harmonia (si plures statuae sint) omnium figurarum cum idea artificis.

**

De pictura. — Pictura definitur: « Ars pulchri quae hominis formam ac statum psychologicum, nec non naturam visibilem qua ille circumdatur per superficies planas retrahit ».

Hinc deducitur actionis campum in pictura valde ampliorem quam in sculptura esse; plura enim pingi possunt, quae sculpere non licet; ex. gr. pulchritudines naturales, quae circum homines stant; item momenta historica, campestres visiones, etc.

Leges quae picturam gubernant naturam exteriorem repraesentantem sunt: 1^o) Pictor subiectum inter pulcherrima quae a natura exhibentur eligat; 2^o) Repraesentatio sit fideliter ex vero detracta etiam in particularibus (ex gr. motus in undis maris).

Si autem vita humana in pictura exhibeat, tunc artifex statum psychologicum interioris animae exterius fidelissime et verisimiliter exprimendum curabit. Quod insuperabili manu magnifice expressit Leonardus a Vinci quum ultimam Christi coenam repraesentavit; qua in tabula omnis persona, ut optime cecinit vates,

il cor negli occhi e nella fronte ha scritto.

Mirabilis quoque est affectuum expressio apud pictores italicos, qui sec. XIV et XV vixerunt, et tot imagines sacras pictis tabulis tradiderunt; in primisque Cimabue, Giotto, Frater Angelicus, pluresque alii.

**

De Musice. — Musice est ars affectus exprimendi ac movendi per rythmicam sonitum diversorum dispositionem.

Inter bonas artes ad affectus excitandos maxime idonea est, et consequenter tum corrumpere mores tum bonas cogitationes provocare potest. Ita factum est ut educatricem musicen habuerint viri clarissimi, Plato, Aristoteles, S. Augustinus, Severinus Boetius, S. Thomas, S. Carolus, S. Philippus Neri, S. Joseph Calasanctius. Imo semper ad religiosum sensum excitandum cantus et sonitus adhibiti sunt, officium quod est nobilissimum musicae sacrae.

Musica sacra, « amica templi », ut ait Horatius, profana forsitan antiquior est, quippe qua populus Israel, iam a tempore, quo terram Gessen incolebat, usus est. Id ex *Exodo* colligitur, quum Moyses post transitum Maris Rubri sublimem illum hymnum canere incepisset: « Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare »; quem sta-

tim soror eius Miriam, et aliae mulieres cum tympanis decantaverunt.

Christiana religio iam ab initio nobilissimos affectus exprimendi cum cantu necessitatem persensit: hinc cantus ille, postea Gregorianus appellatus, originem duxit, qui, licet severus, tamen sublimis consistit; postea vero organi sonitus et cantus polyphonicus inducti sunt.

Hodie autem in Seminariis fere omnibus cantorum scholae et musices exstant, ut alumni qui ad sacrum ministerium vocantur hac arte iucundissima, animi educatrice insigni, sufficienter imbui possint.

**

De poësi. — Poësis est ars phantasticos sensus creandi atque potentes imagines, easque exprimendi ac vivificandi verbis essentialiter harmonicis, ope rythmi.

Regulae poësis sunt: ut, 1^o poëtica cogitatio aliquid novum et elevatum ostendat; 2^o ut compositio poëtica phantasiae loquatur; 3^o ut elocutio sit electa, ornata, harmonica.

Poësis plures habet species, inter quas eminent poësis religiosa, quae, sicut musica sacra, animos adpios sensus et ad honesta patranda inflamat. Omnibus temporibus apud omnes populos, et præcipue inter Christianos, excellentissima carmina sacra composita sunt, ac persaepe in sacris conventibus vel processionibus decantata.

**

Ex iis quae hucusque protulimus, liquet quanta sit inter religionem et bonas artes connexio, et quantum intersit sacerdotes notionibus de bonis artibus præditos esse. Quasdam perhibuimus atque insinuavimus regulas ad bonas artes exercendas et iudicandas idoneas; non tamen ea mente, ut tractatum de arte exhibemus, sed ut omnibus, ac præcipue sacerdotibus, persuaderemus facili et delectabili studio unumquemque sufficietes cognitiones de arte sibi comparare posse.

Permulta enim adsunt occasionses, in quibus sacerdos se notiones de arte habere opportunum videt. Ita, exempli gratia, si agatur de templo exstruendo, de sculpturis vel picturis in templo collocandis; saepe insuper in saeris aedibus insignia artis opera asservantur et custodes sunt presbyteri, vel monachi. Atqui non semel accidit, ut aliquis sacerdos, cui alicuius templi cura commissa erat, ob sufficientis scientiae defectum pretiosam sculpturam vel picturam, vel aliud rarum opus perdiderit (1).

Quapropter optabile est, ut in singulis Seminariis, sicut scholae musices habentur, ita præelectiones de bonis artibus adolescentibus tradantur. Quod si hoc nullatenus fieri possit, curent saltem sacerdotes libros vel ephemerides de bonis artibus tractantes sibi comparare. Huiusmodi studia, ceu complementum eruditionis ecclesiasticae censeri debent, et ideo clerici, qui theologica studia per legales disciplinas completere cupiunt, optimè agent, si eodem tempore etiam illis utilibus notionibus propriam mentem ornare curaverint. Hoc autem spe-

(1) Confr. librum Episcopi Niedzialkowskij *Snopek Kakolu*.

eiali modo ad sacerdotes illos clericosque pertinet, qui Romae in universitatibus studiis superioribus vacant. Roma enim, innumerabilium monumentorum insigniumque operum custos, locus maxime idoneus est ubi clerici notiones de artibus acquirere possint. Iam a paucis diebus in alma Urbe hospitium patet sacerdotibus Polonicae nostrae nationis, qui studia sua perficere cupiant, sicut aliae domus exstant pro sacerdotibus ceterarum nationum. Hoc modo presbyteri qui nedum doctrinas proprie sacras, sed etiam auxiliares alias notiones, inter quas de arte, didicerunt, quum in patriam revertantur et in Seminariis doctores elegantur, clericis, qui Romam non petunt, propriam doctrinam communicabunt magnumque emolumentum clero, Ecclesiae, animabus afferent.

D.^r W. NEJMAK
Presbyter polonus.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS (1)

Operis conclusio

Si spatium postremi nuper elapsi saeculi vel obiter respicias, iam illud tibi facile occurrit, Subalpinos nostros nihil intentati reliquisse studio, sedulitate, animique constantia, ut cum ceteris nationibus in contentionem de primatu descenderent in omnibus, quae ad commercia atque ad artes pertinent. Quo facto Italia, quae usque ad nostra tempora apud omnes gentes ad mansuetiores artes tantummodo, et in primis ad poësim nata esse credebatur, novis officinorum inventis inclaruit, tabernas aperuit, in quibus paullo ante externi modo populi pererebescere videbantur. Adventantibus autem novis inventis, nova quoque adhibita sunt rerum instrumenta; et Italia commerciis studet quae in immensum terra marique crescunt, et *chimicae* in primis atque electrici officinae parantur, novoque rerum ordine vel agri reviviscunt, unde ipsi boves, ut Vergilii carmen mutuem, fertilitatem admirati: « contenta cervice trahunt stridentia plastra »!

Ad omnia enim adhibetur ignis ille electricus, partibus nostris vix cognitus, admittente praesertim **Galilaeo Ferraris**. Hie, domo Vercellis, maximo ingenio pollens, florente adhuc aetate, in dies vel pro re nata in schola, plaudentibus saepe discipulis, ad mira semper inventa feraciter in electrico igni progrediebatur, praesertim in agricolarum adiumentum. Quum omnes iam magna atque incredibilia de viro in proximum portenderent, improvisa morte perculsus, spem civium intercepit.

Clarissimo viro in media urbe, Subalpinorum capite, statua aere confecta paullo ante posita est. Sed eius vestigiis alacres iuvenes insistentes, alii alio modo ad immortalitatem adgrediuntur.

Haud semel hospiti, sub porticu archigymnasi Tau-
rinensis deambulanti, homo obvius est viridi adhuc se-
necta, qui inter multorum adolescentium frequentiam,
gravi incessu procedit, salutantibus hilari vultu subri-
det, omniaque bona auspicatur, et ultro magno disci-

pulorum numero stipatus, ad scholam ingreditur. Seisne, candide lector, quis sit homo ille grandaevis, et quo nomine adpelletur? **Iosephus Allievo** hic est, domo Sancto Germano in agro Vercellensi, qui abhinc quinquaginta et amplius annos disciplinam illam cum honore tradit, quae puerorum mentes ad humanitatem atque ad sapientiam informare consuevit, et recentiori vocabulo e graeco fonte depromto, *Paedagogia* adpellatur. Hic unus ex universa antiqua nostrorum philosophorum familia, veluti e communi naufragio, ad nos pervenit, et integer mente, doctrina, quamquam octogenario maior, etiam nunc discipulos erudit, eosque ad Italiam germanamque scientiam dicit. Quot discipulorum generationes vedit ipse et docuit! Complura quoque volumina perspicuitate illustria edidit, quae doctorum manu hodieque teruntur. Ut vigilans disciplinae miles, quotiescumque hostis inter suos errores disseminare coepit vel occulte vel publice, illico invenili admodum confidentia eum adgreditur, et philosophicis placitis innexus, sanctis voluminibus depromtis, superior excessit. Namque improborum mendacia, vel deliramenta in medium facile refert et eorum mentis ambages insigniter detegit. Mirum quot iuvenes ita e tramite perversitatis vel reduxit, vel retraxit! Fusius de homine dicerem et de caeteris etiam dicerem, nisi tempus adasset, quo denique narrationibus meis finem imponam. Sit igitur

SALUTATIO

Poëta clarior, carmine notissimo, (1)
Puellum depingit lentis qui erubibus
Procedit ultra, lucibus sed avidis
Ludos relictos quaerit et desiderat.
Et ista, semper quae pictura placuit,
P'acebit omne per tempus in posterum,
Est lippis nota cunctis et tonsoribus.
Huic sum similis puello ego senex!
Ad ultimum laetus finem quum pervenerim,
Subalpinarum rerum quas in litteris
Tu'ere Caroli principis tempora
Eiusque Filii, transacto seculo,
Viros, qui magno floruere ingenio,
Decus fuerunt ornamentum patriae,
Et omnes perperis descripsi paginis,
Adhuc admiror et memoria colo!
Ipsos et video gratulantes oculis,
Mihi gratias acturos manibus,
Suis quod iterum viventes posteris
Latinis reddidi festivus litteris.
Virorum series fuit quae longissima!
Sed et complures abdidi silentio,
Vel inter temporis spatium parvuli.
Quot rerum cursus, gloriaeque copia!
Adest poëta vividis coloribus,
Adest historicus, sententiis gravis,
Suum sed redolens, proh! dolor, saeculum.
Orator aures teretes qui vellicat
Latino, italicico more et vernaculo.
Adest minister cuncta supercilios
Regit, gubernat, dominatur impotens.

(1) Vide, sis, Carmen illud immortale quod Vincentius Monti compo-
suit, cui est titulus: *La Basilliana*, Canto I. *Di ritroso fanciul tenendo
il metro*, etc.

Et omnes dicunt singulare eloquio
Quidquid in terris tetigit mortalitatem
Et usque pulchre, molliter, commodius.
Fuit qui mentes docuit philosophus,
Fuit pueros qui educavit nayiter,
Sed illa semper praeditus sapientia,
Magister Iesus sancte quam tradiderit.
Eiusque rectis haeret mordicus placitis,
Nihilque in pueros dixit perniciem.
Ut censes ita se gessisti per velim!
Forent ingenii virtute praediti,
Queis laudatur Subalpina natio,
Flures et plures, gloria dignissimi,
Premo coactus tristi quos silentio.
Ut ipsi, mea brevitate nimia,
Mihi dent, postulo, volentes veniam!
Avete, magni Subalpini Spiritus,
Nepotes crescant, vestro patrocinio,
Religionem maxime et ingenio.

SUBALPINUS.

DE S. GREGORII NAZIANZENI EPIGRAMMATICIS

AD MATREM

(Cfr. num. sup.)

Sanctitatem Nonnae Gregorius depicturus, eam scilicet sublimiorem virtutem, qua posset mater, vigiliis indulgens, assiduas preces effundere, totumque templum suis implere suspiriis, nequibat Gregorius in suis carminibus hunc praecipuum laudis gloriaeque titulum omittere: filii enim magnopere intererat matrem in templo orantem, mortuam repraesentare, ut ii qui legerent, reverentiam praestarent, nomenque eius sanctissimarum mulierum numero adscriberent. Ecquid fieri poterat dulcius suaviusque? Hinc illa quae saepe offendit dicta: « Haec sacra mensa divinam Nonnam ad Deum transmisit »; « cippus tibi mellitae mortis haec mensa »; « in templo mortua est orans »; « in caelum hinc sublata est prece e media »; « orantem pure membris ac mente »; « obtulisti... novissime animam precis »...

Non defuerunt qui poëtam magnopere incusarent quod unam eandemque rem tot diversis Epigrammati versavisset, pietatemque in matrem in templo in caelum sublatam, pluribus carminibus diluisset. Mihi vero longe alia mens est, magisque Muratorii sententiae sum, qui arbitratur amorem in eam tam variae carminum copiae causam dedisse, ac pergit: « Accedit fecunda scriptoris vena, ex qua fluere nullo negotio poterant tam diversa poëmata. Et postremo non male forsitan calculos ponemus conicioendo pleraque ex his carminibus non in eum finem composita ut omnia vulgarentur; sed qualia ex opulento ingenio tumultuarie exciderant, in tabellas relata ad nos pervenisse ».

Restat ut pauca dicamus de quibusdam ex litteris divinis comparationibus petitis, deque magno Nazianzeni odio in fabulas veterum fictas. Nonna longe præstat Sarae sapienti, quae dilectum maritum coluit, duabusque in sanctis libris celebribus Annis, quarum al-

tera per preces filium carum peperit eumque templo purum famulum dedit; altera vero Christum magnum sinu complexa est (LXXXV). Nonna nunc inter pias mulieres excellit, Susannam, Mariamque et Annas, columen mulierum (LXXXVI). Ut Sara quae liquit Isaac, cupiens quam celerrime in Abrahæ sinum deferri, quomodo potuit Nonna natum suum linquere? (cvi). Fides transiit Enochum et Eliam; sic Nonna mater ab humannis translata abiit, viventiumque oculis erecta est (cviii). Obtulit Deo Abrahamus filium, ita et filiam inelitus Iephates; Nonna vero castam vitam ac semetipsam per proprias preces... (cx). Curru quidem igneo Elias in caelum ascendit; Nonnam orantem spiritus suscepit magnus (cxvi)...

Hercules, Empedotome, ac Trophonie, temperate fabulis, tuque, infidum Aristaei supercilium vana iactantis! Vos quidem mortales..., Nonna autem Christifera... ac mundi contemptrix, caelestem in currum insiluit... (LXXXVI). Empedocles, qui frustra superbis in Aetnae caminum praecipitem dedisti te, ne quod corporis vestigium superesset, crateres mortalem ostenderunt. Nonna vero crateres non insiluit; sed altari supplicans sublime attollitur...

Quibus temporibus vixit Gregorius, non desinebant Ethnici nebulae istos magno in pretio habere, scilicet Herculem, Empedotum, Trophonium... qui omnibus notum est - ut divinitatis famam apud mortales quacrerent, atque in eam opinionem venirent ut in caelum rapti esse existimarentur, in subterraneos quosdam specus sese iniecerunt et illic fame oppressi atque extincti sunt...

Nazianzenus, ut par erat, vehementer eos aggressus est, nec desunt orationum loci (vide orat. *I in Iulianum*), in quibus is iracundia exardescat et quasi armis cum hoste decertet. Ceterum, nonne aperte affirmat (in lib. II *Carminum*, 1, 39) se haec quae sunt de moribus ac religione poëmata, ad eum finem composuisse, ne cui rei Gentilium Christiani invidenter? Nonne in epigr. ccxvii Iudibrio habet Heliconiadas musas et lauros et tripodum furores, quibus nugis fabulisque ethnici poëtae sua carmina inspergere solebant?

Erasmus de Gregorio Nazianzeno hanc opinionem habuit: « In Gregorio Nazianzeno pietas propemodum ex aequo certat cum facundia... », ac Psellus (in epigrammate quodam): « Mellifluos dulci protulit ore sonos ».

Quod vero ad carmina spectat, quae a nobis uteumque examinata sunt, nihil audeo prorsus iudicare: id unum affirmo, ea mihi saepe in mentem libenter revocasse, vel potius me coegisse ut, aestivis feriis, proxime elapsi, nimio cum gaudio ac sincera animi perturbatione, illud suavissimum *Albinii* carmen lectitarem, matri suae inscriptum, quo nescio quid dulcius, concinnius, mollius teneriusque italae Camenae aetate nostra unquam dictaverint.

Legant alii ac meditentur, si quid otii est, quanta sit pietas in matrem immature functam, quanta verborum elegantia, quanta intimarum cogitationum simplicitate scateant versus, qui privataram denique recordationum calor eos fuse pervadat et animet!

MARCUS GALDI.

EX ITALIS URBIBUS

De "Cetaria .. pago
nuper aquarum eluvionibus direpto.

Quum hisce proximis diebus universa Italia vehementer commota sit ob magnam violentamque tempestatem, quae cum ingenti fragore tonitribusque coorta, amoenissimas plagas prope litus Amalphitanum theatralem modo inflexas ac protentas evertit et fere subruit ab imo, haud erit abs re huius Commentarii lectores pauca de Cetaria admonere, eo magis quod hic pagus, terrifica calamitate percussus ac rabie fluvialis aquae direptus, miserrimum nunc suarum reliquiarum spectaculum praebeat.

Quae autem tabulae photographice expressae, descriptionem hanc comitantur illustrantque, fortasse, ut spero, melius irreparabilis ruinae gravitatem oculis subcient. Vera hic referuntur: meis ipse oculis locorum vestigia spectavi, quae adeo me dolore affecerunt ut etiam nunc, dum scribo, animo succumbam.

Cetaria parvus est piscatorum tractus qui in mari recumbit; sed sese ascendens per adversos clivos explicat, qui alti praeruptique impendent ac veluti testudinatum locum cingunt. Aquae e fastigio montium cadentes, in praecipitem quemdam torrentem colliguntur qui per medium pagum fluit et in mare effunditur. Huius aquarum ductus prope margines Cetaria cum suis non superbis sed pulchris discoloribusque aedificiis condita fuerat. Hinc facile est autem intellectu, torrentem imbris auctum, qui magni densissimique caderent ex alto, silicibus, truncis, saxis ac limo commixti, quum eos continere non posset, ruptis aggeribus alveoque superato, vastationis et mortis ubique causam fuisse. Nam undae minaces omnia receptacula invadunt, templa, casas funditus evellunt, obstruunt aditus, viasque sub immensis lapidum cumulis cooperiunt... His praepositis, pauca de historia pagi addamus.

Ac primum de « Cetaria » nominis origine.

Sunt qui censeant ita appellatam esse a magno quodam pisce, in litus projecto, qui vulgo « cetus » (*cet. s.*) vel « cete » dicitur. Alii vero a multis piscatoribus dominant qui, quum magnos quoslibet pisces capiant ac vendant, « cetarii » appellantur.

Ex his duobus etymis, alterum reicimus, utpote a vero abhorrens; alterum autem facile probamus, quod prisci maritimorum incolae, ut nos Forcellinius admonet, pisces plerumque captaverint et venditarint. Quod si his recte incolis « cetarii » nomen congruit, etiam pago, ubi huiuscmodi piseatorum ministerio homines fun-

guntur, « Cetaria », vel « Cetariae », corrupte *Cetara*, nomen est. Si enim « cetaria » piscinae sunt, seu vivaria, in quibus magni pisces aluntur, equis dubitabit, ita Cetariam appellatam esse a piscinis, quae etiam nunc magnificos ingentesque quosdam thynnos alant? (1)

Fuit olim pagus barbarorum sedes et quasi latibulum: quo tempore aedificatus fuerit, parum liquet: non desunt vero qui iam inde ab anno 455 p. Chr. n. existisse affirment. Labente saec. ix Saracini, ex alto inventi, hoc loco potiti sunt pluresque annos tenuerunt, ut incertus auctor Salernitanus edocet. Eorum enim colonia anno 878 occupavit habuitque usque ad a. 1016, qua aetate Salernum urbem aggressa est. Erat tunc princeps urbis Guaimarus III.

Interea incolae pagi, utpote Saracinarum incurso-



Cetariae pagi prospectus, ante eluvionem.

nibus obnoxii eorumque ad omnes ictus expositi, iniurissima fortuna utebantur. Non defuerunt postea maritimi praedones; quin immo a. 1533 tunisinus ille praedo cui nomen fuit *Barbarossa*, Cetariam introivit, trecentos homines cepit multosque obtruncavit, ita ut plerique Neapolim configere coacti sint. At paulo post Carolus V imperator magna cum classe in Tunes venit, praedonem regem vicit stipendiariumque fecit ac multos captivos liberavit, in quibus etiam Cetarienses.

Pagus autem usque ab a. 1120 in dicione reipublicae Amalphitanae fuit, quo tempore Wilhelmus Normannus dux proximo monachorum Ercensi coetui his verbis eum concessit: « In nomine Domini... Ego Gulielmus

(1) Cetariae, arum (cetaria, ae - subaudi piscina -, cetarium, ii etc.) Κητεία, sunt loca stagnantia in litoribus maris, in quibus thynni et alii huiusmodi pisces capiuntur et saliuntur. Cfr. PLIN. *Hist. Nat.* 8, 43: « In cetariis Carthaginis garum e scombro pisce laudatissimum fuit »; HOR. *Sat.* 2, 5, 44: « Plures annabunt thynni et cetaria crescent ». — Qui ampliores velit de hoc nomine notitias, audeat FORCELLINI *Lexicon totius latinitatis*, quod iam supra memoravimus.

Dux... concedo tibi domino M stolo Venerabili Monacho et Abati Monasteri etc. ». Deinde sub Abbatia Trinitatis cavensi fuit, quoad ecclesiastica iurisdictione a civili secreta, ecclesiastice ad Amalphim, civiliter ad Cavam pertinuit. Olim, ac certo a. 1516, incolae praefectos cognitoresque Cavae suum syndicum rogaverunt ut suis legibus viverent nullique alieno imperio parerent; sed eorum preces repudiatae sunt. Nunc vero res aliter est.

Salernitani ac Saracini qui inter se continuis iurgiis ac maledictis certabant, cotidiana clade exanimati, foedus iunxerunt; sed illi non steterunt pactis ac rupto foedere Cetariam de improviso adorti sunt. Tunc barbari, quos primum stupor ob tantam perfidiam incessit,



Cetariae pagi pars eluvione maxime direpta.

(Photographice expressit F. SALGANO, Cavae Tyrrhenorum).

scidulam iuncti foederis SS. Trinitatis sigillo obsignatam suspenderunt ensi, ac sumptis armis, eo acriter pugnaverunt ut hostes in fugam converterent, multis imperfectis, vulneratis et in mare projectis: quapropter Cetaria Salernitanorum sepulchrum facta est, apud quos nihil societatis fides sancti habuisset. Iidem Saracini, rebus prosperis inflammati, arma in Salernum tulerunt ac funditus everterunt ea loca quae praeter moenia erant; adeo ut gentes exterritae maluerint mori, quemadmodum incertus auctor dieit, quam vitam in tam dubia asperaque re ducere.

Non opus est hic lectoribus renuntiare, Cetariam patriam esse illius venerabilis Monachae, Ursulae Benincasa, quae sanctitate vitae et morum innocentia effulserit, quaeque a se denominatum monasterium Neapolii erigendum curaverit; quod vero a. 1656, sub saeva

vi pestilentiae, perfectum est ac regio sumptu perpolitum.

Placet contra meminisse Cetarienses a Friderico Aragoniae, Ferdinandi regis filio, innumeris beneficiis privilegiisque coherestatos esse, quod eum a Salernitanorum custodia dimisissent. Eventum refero, latine reddens quae Summontius in sua historia italicae seribit:

In coniuratione quam barones regni contra Ferdinandum regem fecerunt, Fridericus cui sumnum imperium oblatum erat, quum eorum voluntati satisfacere noluisse, in vineula coniectus est, in quibus viginti ferme dies elanguit.

Tunc cuiusdam ope Corsorum ducis, quem princeps Salerni stipendiarium habebat, Mariotti Bocci, e carcere dimittitur.

Nam Bocci, quum eum muliebri veste texisset, persuasit aliis se perdite adamare: sic egredi iussit e Salerno, Grandenectoque Aulizio tradidit qui navi cursoria magna cum diligentia ac fide Neapolim abduceret.

Grandenectus autem qui, quamquam natus Cavae, tamen in Cetariae pago domicilium sibi constituerat, amplissime donis regiis decoratus est, ac Cetarienses par modo benigne excepti sunt maximisque privilegiis donati, quae die XIV mensis Iunii, a. 1494, Alfonsus II rata fecit et auxit.

Elogium in Grandenecti sepulchro insculptum, quod legitur in pariete liminis Ecclesiae apostolorum principi dicatae, quodque male primum Mattheus Camera in sua historia *Della città e costiera di Amalfi - Napoli* 1836 - exscripsit, integre ac recte, quale est, a me nunc refertur:

*Grandenectus in hac Aulisia accubat urna,
Nobilis ingenii quem Cava blanda tulit.*

*Hic cum virtutem vitae sociasset honorem
Contulit in patriam grande decusque suam.*

*Namque Antonellus Princeps rectorque Salerni
Dum Regi inferret bella superba suo:*

*Captivum eripuit Federicum ex urbe Salerni,
Regni et primates consiliumque simul.*

*Mox fida solus cymba per cerula vexit
Donec Parthenope reddidit incolumes.*

*Munere quo immunem fecit Fedricus Abatem
Ac natum et totam donat honore domum.*

*Qui velut est Christi semper bene sancta secutus
Dogmata sic caelo sit tibi tuta quies;*

*Cuius adest vite virtus socia hospes eundem
Post fatum sequitur gloria summa comes.*

MCCCLXXXV.

Serripsi Cavae Tyrrhenorum Kal. Novembr. MCMX.

M. G.

Bona opinio hominum tutior pecunia est.

PUBL. SYRUS, Mim.

IN CETARIAE RELIQUIAS

Hue tristes elegi veniant....

*Heu nequeunt oculi tantam sufferre ruinam !
 Pes cumulata nequit saxa per alta gradi !
 Undique perniciem spectas : fragmenta domorum,
 Vasa, trabes, tabulas, frustaque mixta luto.
 Offendis passim dilapsa cadavera tabo :
 Sunt pueri, nuptiae, sunt iuvenesque, senes.
 Sub lapidum cumulis dulcissima membra teguntur :
 Sordida colluvies iam tenet arcta loca.
 Effodiunt terram, vellunt coenosa parentes
 Saxa, cavant molem, fletibus ora rigant...
 Vanum opus ! alta silex frangit molimina rerum :
 Funereum bustum grandis acervus erit !
 At quae dira manus mortem diffundit ubique ?
 Quae vires pago tergora sic lacerant ?
 Mox Amphitritis depellunt somnia cives,
 Gurgite submergit cum fluvialis aqua.
 Iam nox intempsa satis defluxerat imbri,
 Cum veniens nigrat turbine spissa dies.
 Ecce autem subitis concrescant nubibus imbris,
 Intremuit vallis, surgit ab axe fragor.
 Ignea rima micat : genti radiisque sonoque
 Protinus attonitae frigida corda rigent...
 Iam iam praecepiti torrens devolvitur alto
 Monte : vides quali murmure claudat iter !
 Aggeribus tandem ruptis, effunditur ille
 Ac rabie spumans, impete cuncta rotat.
 Quo fugitur ? dubiis quaenam spes blanda salutis ?
 In tanto lapsu mors furit atra minis...
 Curritur en pagi nemorosa cacumina versus :
 Non maris heu ! proni litora turba petit !
 Hic vero profugi merguntur funere tristi,
 Nam lapidosa cadit, facta repente, strues...
 Heu pereunt silicis lacerati pondere membra :
 Mors vetat amplexus, suavia quaeque vetat.
 Tecta labant passim, velluntur funditus aedes,
 Clamores, lacrimas, spernit et unda minax !
 Quae vidi ! quantum movit me diruta moles !
 Vix mea perniciem verba referre queunt !
 Provida captabat laqueis Cetaria pisces,
 Nec modice vivens deficiebat ope.
 Aequoreo circum resonabant litora cantu,
 Et pueros docuit lina parare senex.
 Quos dum demulcent placide figmenta marina,
 In ripa stratos occupat alma quies...
 Quid nunc miraris ? luctum monumentaque cladis :
 Paupertas regnat, funera moesta, dolor.
 Non cantu resonant orae, frustaque superstes
 Advocat heu lacrimis tristis hebesque suos !...*

Huc adsta, tecum spectacula volve, viator :
 Non poterat gravior casus adesse : dole.

MARCUS GALDI.

ACTA PONTIFICIA

**SS. D. N. Pii PP. X litterae ad Gasparem Decurtins,
 Doctorem Decurialem in athenaeo catholico Fribur-
 gensi missae**

De modernismo litterario.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Tuum opus de modernismo litterario, firmissimis et magna disserendi copia conscriptum, haud studiose minus quam iucunde perlegimus. In eo enim, qualem antea, te praebes fidelissimum Ecclesiae filium ac defensorem strenuum, dignum propterea quem, sicut illustris Decessor Noster, ita et Nos peculiari existimatione ac benevolentia prosequamur. Dudum quidem animadvertisimus, multiplici sub forma, se occulente modernismum in litteras irrepisse, nec solum in fabulas, quas romanenses appellant aliave narrationum genera, verum etiam in sermones, qui in criticorum arte versantur. Novum hoc propagandi erroris adminiculum, mentita specie tractandi litteras de iisque iudicandi, in dies evulgatus, eoque periculosius quo simulatum calidius et ad virus diffundendum expeditius, acerbum Nobis dolorem attulit. Ea namque agendi ratio declarat, fidei ac disciplinae catholicae adversarios nihil intentatum relinquere ut deploranda consilia sua ad exitum perducant. Haec nempe causa est quamobrem, post editas encyclicas Litteras Nostras « *Pascendi* », quae modernismum philosophicum ac theologicum directo percellebant, transversae sint initiae viae ad exitiosos illos errores longe lateque proferendos. Magnam enim, ut egregie tu disseris, in artibus et litteris vim sitam esse animadverterunt ad hanc novam dimicationem, maxime vero in romanensibus aliisve fabulis. Hinc mira illa librorum id genus colluvies, pluribus linguis redditorum, quibus propositum est humanitatem inimicorum Ecclesiae summis laudibus efferre; nostrorum studia et scripta commiserari, deridere, quasi longe inferiora; fatuam quamdam religionem et commenticiam recti pulchrique formam, quam « *Idealismum* » dicunt, perpetuo celebrare, suo cuiusque sensu duce ac magistro reiecta quavis disciplinae norma et freno quovis legitimae auctoritatis excusso; implicite saltem promovere inductam illam philosophandi rationem, a qua, velut a fonte, singuli errores derivantur, quae absolutam veritatem cognosci posse negat, omnemque religionem nihil aliud esse contendit, nisi inchoatam quandam formam eamque mutabilem, hoc uno utilem homini, quod eius animum expleat in ea pronum quae naturam excedunt. Haec omnia quam falsa sint atque improbanda facile intellectu est. Primum enim, non fictam catholicae Ecclesiae historiam perlegenti patebit, hanc omnis humanitatis matrem et altricem fuisse, nulla cultus parte seclusa, Romanosque Pontifices eiusdem tuendae vindicandae auctores impigros exstisset. Quod vero pertinet ad novissima de religione iudicia, quibus modernistae conantur evincere, nihil aliud esse religio-

nem quam insitum unicuique sensum rerum caelestium, cui minime res ipsa respondeat, Nos quidem refellimus iam atque damnavimus errorem funestissimum, quo fatalis via sternitur ad veri nominis despicientiam incuriamque rerum ad religionem spectantium quam *indifferentismum* vocant, vix dissimulatam fucatis verbis a rhetorum officina petitis. Haec lenocinia atque haec simulationes ingenii ad inventionem excolendi et criticæ artis exercendæ, quae mire inserviunt erroribus disseminandis aut facilius divulgandis, haec pompa sentiarum ad ineautos lectores decipiendos, existimari debent uti arma omnino funestissima ad falsi tutelam et ad oppugnationem veri. Oportet igitur omnes, qui cumque haud inani gloriantur nomine catholicorum, insidias hasce denuntient repellantque viriliter.

Qua in re nemo sane poterit melius ferre suppetias quam iuventutis institutores et auctores operum edendorum. Campus enim his patet latissimus, in quo possint subtile iudicium atque elegans, idemque plane catholicum, in animis adolescentium inserere, proposito exemplo scriptorum qui ex eo numero immortalem sibi famam pepererunt; aut causam litterarum a catholicis sensu prodeuntium suscipere contra novissimum agmen iniquo animo scriptitantium; aut, si cui Deus hanc facultatem concesserit, addere se scriptorum numero probe de religione sentientium. Huius navitatis exemplum, quod ipse, dilecte Fili, praebuisti nobilissimum, incitamento sit ceteris. Nobis gratissimum est praeclaram operam tuam pro Christo et Ecclesia impensam, excellens ingenium exquisitamque doctrinam, in obsequium veritatis collata contra erroris astutiam, publica laude honestare. Caelestis autem pignus mercedis, eademque excitatrix ad continuanda proelia Domini, sit Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecte fili, paterno animo effusoque impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Rituum.

Resolutio dubiorum circa consuetudines in Missa Novi Sacerdotis, Expositionem SSmi. Sacramenti, Usum candalarum ex cera stearina, Palmatoriam in officio feriae VI in Parasseve, Benedictionem in Communione extra Missam et Benedictionem cum Augustissimo Sacramento in ianua ecclesiae post processionem.

Hodiernus Sacrae Liturgiae Professor in Seminario Tunquensis dioeceseos (*Tunja*) in Columbia, annuente suo revmo. Episcopo Ordinario, dubiorum quae sequun-

tur solutionem a Sacra Rituum Congregatione expostulavit, scilicet:

I. In prima Missa cantata a Novo Sacerdote, praeter Ministros in Missa solemnni adhiberi consuetos, duo inserviunt laici, quos Patrinos vocant, qui in parte et a latere Presbyterii stant, et quorum officium praecipue est aquam odoriferam ad manuum lotionem ter Neo-Sacerdoti effundere, videlicet ante Missam, ad *Lavabo* et post sumptionem Calicis. Quaeritur, an continuari possit hic usus Patrinorum? — *Resp.* Tolerari posse, sed, quoad manuum lotionem, tantum ad *Lavabo*.

II. Absoluta sua prima Missa, Novus Sacerdos, tenta vel interdum deposita casula et sumpto pluviali, a matre sua in Presbyterium ingressa et stante, genuflexus benedictionem sic paratus recipit; mox surgens, matri genuflexae et ipse benedicit. Eodem modo fit quoad patrem Neo-Sacerdotis. Quaeritur, an haec consuetudo, quae vetustissima videtur, retineri queat? — *Resp.* Prouti exponitur, negative et ad mentem. Mens est: consuetudinem de qua in casu continuari posse, non tamen in Presbyterio et in Ecclesia, sed in sacristia vel alibi; et postquam Neo-Sacerdos deposuerit sacra paramenta.

III. Ex decreto S. R. C. *Colimen.*, 12 Iulii 1901 ad I, expositio ac repositio SSmi. Sacramenti fieri nequit eo modo quo velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in repositione, aut relaxatione in expositione, quae omnia a sacrista vel acolytho peraguntur. Hic vero modus expositionis et repositionis usurpatur fere in omnibus Ecclesiis et Ora toriis sive publicis sive semi-publicis, nec non et in Ecclesiis Regularium, ac difficile foret hanc generalem et vetustam consuetudinem tollere, quia thronus expositionis sic in altari est constructus, ut ad eum non facilis pateat accessus. Aliunde benedictio cum SSmo. Sacramento in fine expositionis non datur, ut patet, quum ex S. R. C. Decretis dari debeat, nisi in aliquibus tantum Ecclesiis ditioribus, ubi aliud praesto est Ostensorium, in quo celeriter exponitur alia Hostia super altare, et tunc datur benedictio. Quaeritur, an, attentis peculiaribus circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit? — *Resp.* Standum Rubricis, Decretis et praxi universali.

IV. Nonnulli doctores liturgici affirmant posse in solemnni expositione SSmi. Sacramenti adhiberi tantum sex cereos. Quaeritur, an haec opinio ad proxim deduci liceat, praesertim in pauperibus Ecclesiis? — *Resp.* Ad Ordinarium.

V. Ex variis S. R. C. Decretis, v. g. n.^o 2865 *Masilien.*, 16 Septembris 1843, n.^o 3376 *Policastren.*, 4 Septembris 1875 ed III, candela ex stearina pro usu sacro prohibentur. In expositione tamen solemnni SSmi. Sacramenti nec non et in Missis solemnioribus, praeter numerum praescriptum cereorum, aliae permulta frequenter adhibentur candela ex stearina, quae quidem

collocantur hinc et hinc a latere tabernaculi et Cruces, extra tamen ambitum altaris. Quum autem aliquibus in locis altarium structura, saepe saepius perantiqua, non sinat candelas collocari nisi intra ambitum ipsius altaris, et ex altera parte propter cerae penuriam sumptus faciendi nimii esse deberent, quaeritur, an praeter cereos praescriptos, sive in Missa, sive in benedictionibus cum SSmo. Sacramento, aliae candelae ex stearina intra ambitum altaris adhiberi possint? Et quatenus negative, an, attentis circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit? — *Resp.* Negative ad utrumque et standum Decretis, praesertim recentioribus ad rem datis, uti in uno *Natcheten.*, 16 Maii 1902, et in altero *Plurimum Dioecesum*, 14 Decembris 1904.

VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. xxv, n.^o 13, « Episcopus legit ex libro Prophetiam sine candela accensa », qui modus loquendi significare videtur candelam in hoc officio non esse adhibendam. Quaeritur, utrum in casu nullo modo adhibenda sit candela, an adhiberi debeat candela extincta? — *Resp.* Candalam seu palmatoriam nullo modo esse adhibendum.

VII. Ex S. R. C. Decreto n.^o 3792 *Strigonien.*, 30 Augusti 1892 ad X, post distributionem Communionis extra Missam, benedictio sub formula « Benedictio Dei » semper danda est (uno excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam Defunctorum). In Rituali autem Romano, tit. IV, cap. II, n. 11, dicitur quod Sacerdos, sumpto Sanctissimo Sanguine, porrigit communicandis Eucharistiam et finita Communione non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Quaeritur, si certo constaret communicantes ante Missam usque ad eiusdem finem esse mansuros, an illa benedictio omitti possit vel debeat? — *Resp.* Negative.

VIII. Ex decreto S. R. C. n.^o 1784 *Fanen.*, 19 Iulii 1687, benedictio cum SSmo. Sacramento impertiri debet super altare in Ecclesia et non in ianua post Processionem. Attamen cum decreto n.^o 3225 *Utinen.*, 20 Augusti 1870, S. R. C. rescripsit praefatam consuetudinem (impertiendi benedictionem in ianua) esse tolerandam. Porro, quamvis temporum et locorum circumstantiae de quibus in decreto n.^o 3225, adamassim non verificantur, tamen eadem consuetudo pluribus in locis et parochiis viget, ea praesertim de causa, qua per multi Christifideles, etiam milites, SSmm. Eucharistiae Sacramentum comitantes, peracta Processione, ingredi nequeunt propter angustiam ipsius ecclesiae, et sic discedunt, et benedictionem, nisi in ianua ipsis impertiantur, non recipiunt. Quaeritur, an in casu consuetudo retineri possit? — *Resp.* Attentis expositis, consuetudinem servari posse.

Hoc sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur; quod loquimur sentiamus; concordet sermo cum vita.

SENEC., Ep., LXXV, 2.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adi erunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: R. p. d. Iulius Tonti, episcopus Ancyran., Apostolicus Nunnius apud Lusitanos; Christina Gius iniani Bandini, Princeps foemina, Praeses Unionis Catholicarum mulierum in Italia cum consilio sodalitatis suae; Schonberg-Roth-Schonberg, dynasta; Consilium supremum Ordinis fratrum Minorum S. Francisci; S. Severinae Dux eiusque uxor; Guido Borromeo, Comes, eiusque familia; Hieronymus Theodoli, Marchio; Hulsen doctor; Nicolaus Szécsen de Temerin, Comes, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

— R. p. Ioannes Baptista Frey e Congne, Sacerdotum de Spiritu Sancto et Immaculati Cordis B. M. V. inter Consultores refertur Pontificiae Commissionis de Studiis Biblicis.

— R. p. Placidus Lemos, ex Ordine Fr. Min. S. Francisci Unionis Leoniana inter Consultores S. Congregationis de Propaganda fide pro Negotiis Ritus Orientalis: et r. p. Henricus Bonpensiere O. P. inter Consultores S. Congregationis Indicis adleguntur.

— R. p. d. Peregrinus Stagni, archiepiscopus Aquilanus, delegatus apostolicus mittitur in Canadensem regionem.

Vita functi viri clariores.

— Die xxii mens. Novembris MCMX, Romae, **Ioannes De Montel**, S. Romanae Rotae decanus emeritus.

— d. xxiv Monticastelli, in oppido Pisanae dioecesis, Purpuratus Pater **Alexander Sanminiatelli Zabarella**, Radicondoli in oppido Volaterr nsis dioecesis n. die xv mens. Augusti MDCCXL, in Sacrum Senatum cooptatus d. xv m ns. Aprilis MCMI, titulo S. Petri et Marcellini.

ANNALES

In "Latina America, seditiones.

Qui Latinae gentis Orientalis Europae seditionem in superiore numero recoluimus, alias eiusdem seminis in Americis enucleare, non laeto quidem animo, hodie coacti sumus. Quamquam non de imperio unius in civitatem, seu, uti vulgo dicitur, in reipublicae formam, translatum hic agitur, sed de bello civili, deque illa factionum contentione quae non ultima quondam causa exstitit unde Romanorum vis et nomen prolapsa sint.

Sed eventus, sicuti nobis mos est, sine partium studio, recolamus; atque primum Mexicanae regionis, ubi tentata rebellio est in Porfirium illum Diaz, qui ab anno usque MDCCCLXXVI civitatem — vix quattuor annorum intermissione — moderatur, et quasi dictatoriam auctoritatem assumpsisse visus est. Seditionis princeps Madeiro fuit, in recentibus comitiis Porfirii aemulus; quod profecto non abso-

num apparuit. Id vero inexplicabile prope fuit, Diaz militaris regiminis potius quam civilis accusatum, a militibus praesertim impetitum fuisse.

Tumultus alter in Brasilia orsus est, opera maxime classiariorum, disciplinae magis impatientium, quam politicam quamdam directionem affectantium. Pax ex concessa venia reducta; at novis statuendis circa classem ordinibus providendum erit, nisi factum, idque vehementiori vi, renovari civitatis administratores cupierint.

Dum scribimus Porfirius Diaz, rebellione sedata, rerum potitus pacifice nunciatur.

Lusitanæ novae reipublicæ gesta.

Si legum et decretorum in odium catholicae fidei non interruptam successionem exceperis, nihil novi Lusitana respublica attulit; quae imo impedire non potuit quominus graves hic illic operariorum ex condicto ab opere desertiones exorireruntur.

Quod ad negotia spectat atque clientelas cum exteris nationibus, hae novi regiminis formam sollemniter recognituras sese declararunt, post coetus constituentis comitia, ad primos proximi anni menses indicta.

Mauritana res.

Potius quam interna, negotia externa Mauritanum gubernium hisce diebus respexit, circa Hispaniam praesertim, quacum Mulay Afid Imperatoris legati dissensiones tamdiu agitatas tandem aliquando composuere. Sanctum est enim pactum, ut Hispaniae indemnitas solvatur, datisque certis regulis de publica securitate, de iure vectigalium et munitionibus ad fines Hispanici dominii, ut mercatura et quaestus Hispanorum ad Ceutam libera satis fiant: novus proculdubio gradus ad pacem in Mahumetanorum illo imperio componendam, quae fore ut omnino ac brevi obtineatur in spe omnium est.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** quaestio, quae « constitutionalis » ab omnibus vocata est, Eduardi regis morte sopita, paullatim suam vim resumpsit. Opportunum igitur visum est legiferorum coetum dimittere et populum ad comitia provocare.

In **Batavia** publici coetus sessionibus resumptis, Heemskerk, administratorum praeses, legem rogavit de litoribus tutandis.

In **Belgica**, mos ut rex orationem populi legatis haberet in desuetudinem transactus, est renovatus;

quum tamen socialistarum factioni adlecti inurbane sese coram rege gesserint.

In **Bulgaria** Malinoff, admnister primus, publice declaravit Balkanicam foederationem a pluribus requisitam impossibilem re fore, seque esse firmum ad amicitiam cum Turcarum imperio et Rumania servandam.

In **Gallia** novum administratorum collegium constitutum ipso Briand praeside, qui iura gubernii adseruit desertiones ab operibus coercendi, quae magno incommodo civitati forent.

In **Hispania** lex de novis Congregationibus non ultra instituendis a Senatu rata habita, quum tamen vigorem obtineat anno MCMXII, ut locus interea fieri possit novo foederi cum Apostolica Se-de (1).

In **Italia** rationes acceptorum et expensarum ad examen revocantur.

In **Rumenia** regia oratio Rumeneae civitatis participationem ad pacem inter Balkanicos populos provehendam confirmavit.

In **Serbia** post animosam Milovanovich orationem commerciorum foedus cum Austrorum Hungarorumque imperio constitutum.

In **Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis** comitia tum pro publico Coetu, tum pro Senatu, tum denique pro singulorum Statuum gubernatoribus « democraticae » factioni favorabilia maxime cesserunt.

In **Turcarum imperio** coram Caesare publici coetus sessiones sollemniter incoptae rursus.

(1) Horatianum illud in mentem sponte hic venit: *Speciosus pelle decora, introrsus turpis!*

PER ORBEM

Die II mens. Novembri MCMX, Romae, in campo proximae Italicarum artium exhibitionis, ventorum vi Sardiniae tabernaculum sternitur opifices eius constructioni vacantes secum trahens, quorum unus moritur, viginti plus minusve vulnerantur.

— d. IV Potsdam in urbe Nicolaus II, Russorum Caesar, Gulielmum II, Germanorum imperatorem, convenit.

— d. VI Brixiae repente morbo corripit Iosephus Abba, Italicus senator et historicus.

— d. IX Mutinae XX Italorum catholicorum conventus sollemini ritu inauguratur.

— d. XII Leo Tolstoi, celebris ille Russorum scriptor et philosophus, qui ex rure suo ad Jasnaia Poliana improviso atque occulte abierat, a familiaribus suis in religiosa Russorum monachorum domo ad Keselek reperitur.

— d. XIII multae Lutetiae Parisiorum urbis viae Sequanae aquis rursus inundantur.

— d. XIV Moncalieri in oppido ad Augustam Taurinorum nuptiae celebrantur Aloisii Napoleonis, Principis e gente Bonaparte, cum Maria Clemencia, Leopoldi II, Belgarum regis, recens vita functi, filia.

Paulus Heyse nunciatur Nobelium praemium de litteris hoc anno obtinuisse.

— d. XV Copenhagen in urbe supremum obit diem Exner pictor apud Danos valde celebratus.

— d. XVIII Denwer in urbe Johnston aviator cum velivolo suo de magna altitudine in terram praecepit miseramque oppedit mortem.

— d. XIX Cepanelli apud Catacum naturae concedit Achilles Fazzari, philanthropus apud Italos notissimus.

— d. XX Leo Tolstoi, qui Keselekense monasterium deseruerat solitudinem alio petens, Astapovo ad ferriviae stationem, ubi malae valetudinis causa consistere coactus fuerat, animam placide agit. Natus erat die XXVIII mens. Augusti an. MDCCXXVIII. Circa an. MDCCCLX maximum opus a se conscriptum edidit, cui titulus *Bellum et pax*, quod, apud Russos praesertim, monumentum aere perennius ei stabit.

— d. XXII ex ultimo Oriente nuncia pervenient, Annam in regione, flumina, magnis quibusdam imbribus tumefacta, ruptis aggeribus furentia in pagos lata, incolarum mille et ultra aquis submersisse.

— d. XXIII Maria Pia e Sabaudica gente, Emanuelis quondam Lusitanorum regis avia, Neapolim pervenit, ubi suum exilii domicilium constituit.

— d. XXIV Augustae Taurinorum vita fungitur Angelus Mosso, Italicus senator, biologicae disciplinae magister insignis; Chicagine autem Octavius Chanute architectus, aviationis praecursor, in quam ab anno MDCCCLXXIV sedulo incubuit. Natus erat Parisiis an. MDCCCXXXII.

— d. XXIX Berolini cisternae, in quibus maxima purgati petrolei congeries asservabatur, fortuito igni cum damno ingenti absumuntur.

LIBRORUM RECENSIO

DOMINICUS PIANAROLI-MORONI. *La casetta di Naza et.* — Neapol. edid. F. Casella, 1910. — Id. *Arborum festum*, Ecloga. (Ibid.).

In altero opusculo poeta, variis adhibitis metris, facili atque eleganti stilo Nazarenam Christi ac Deiparae Domum decantat, cum sacrosanctis, quae inibi perfecta sunt, mysteriis. Quum vero sacrae Domus eiusdem translationem in agrum Lauretanum describit, vel maiori videtur affectu moveri, memor nempe Recineti, « terrae suorum patrum ». In calce libri, notulae adduntur, quibus facta quaedam, versibus memorata, uberiori explanantur.

Idem auctor, apud eumdem Neapolitanum typographum, alterum edidit opusculum latine scriptum versibus hexametris, cui titulus: *Arborum Festum*. In eo quidem scriptor eruditum se prodit et musae Vergilianae probe memorem. Sed eheu! saepe in prosodiam peccat, et nonnunquam voces adhibet aut male latinas, aut impropias, aut ab orthographia desciscentes. Ita pro *iuvanes* constanter seribit *iuvanes*, pro *robore*, *robure*; fingit participium *festantes*, quod Latini ignoraverunt. Deinde producit *i* in *videns*, *y* in *thymus* (quod *thymum* scribi debet), et *a* in *amo.nus*; dum contra corripit *i* in *figens*, *a* in *caseum*, *u* in *salus*, et *i* in *miror*. Haec menda auctor facile vitasset, si paulo altius animo infixisset leges prosodiae, nec tam festinanter sua effudisset carmina, quae Horatius nos iubet « nocturna versare manu, versare diurna ».

F. X. R.



AENIGMATA

I.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsus
Non cesso fauces urere saeva tuas.

II.

Pronomen monosyllabicum duplicabo. Quid inde
Nascitur? Aethiopes quam coluere, dea.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

JOSEPHI SCOPA
CARMINA

Aenigmata an. XIII, n. IX proposita his respondent:

- 1) **bepus, lex, Supellec**
- 2) **Eva — Ave.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Max. Vronski; Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. — A. Reveney, *Estavaer-le-Lac in Helvetia*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Ian. Rocco, *Afragola*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Aug. Scriban, *Iassius*. — R. Richi, *Traianopolis*. — Ioan. Biava, *Bergomo*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — F. Ortiz, *Morelia*. — Theo. T. Chave, *Chicagine*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — A. Bounin, *Aureliano*. — Alex. Fásztusz, *Szatmár*. — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum*. — F. Guerra, *Aletio*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Ant. Favazzini, *Merate*. — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco*. — Adam. Koztowski, *Petricovia*. — Fr. Baturewiez, *Zytorinia*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Fr. Radler C. SS. R., *Vaals*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — F. X. N., *Drepano*. — Rich. Müller, *Berolino*. — I. M. Meunier, *Corbiniano*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Eug. Ricci, *Florentia*. — St. Lowinski, *Zerkow*. — I. Martins, *Philadelphia*. — F. Starae, *Neapoli*. — F. Correa, *Emerita*. — St. Kempe, *Ogrodinia*. — I. Ciolfi, *Papia*.

Sortitus est praemium:

IGNATIUS CIOLLI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edid. BRANDT, Lipsiae, ex off. Teubneriana).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. XI).

(9)

Horruerunt nucleati adhuc equites, ipseque Caecilius sensit momentum adesse supremum, eiusque haec fuit ultima adhortatio :

— Vari Manibus ac Romanae Fortunae ipsi nos hostias damus: sequimini, equites, caputque legati et aquilas recipere connitamini, feralia dona nobiscum adfrenda tartaro !

Conclamarunt equites: iraque unanimi una cum duce ratem descendantem circumveunt, ac supra vi petunt.

VI.

Tunc eius inter remiges, emicuit vir corpore procerus fulvoque capillo, telumque iactans in Caecilium :

— Arminius vitor — ait — adsertorque patriae libertatis te libens macto, quem hostiam sacrasti !

Sibilavit telum, legatique latus attigit, qui corruit ex equo in fluctus. At statim eques, e proximis iunior, elato ense in navem prosilit, vulnerantemque impedit. Audacem videt, dum unda agitur, Caecilius, eumque ultima voce incitavit :

— Corripe, Atili, aquilam ! — iamque fluctibus mergitur.

Digladiatur Atilius medios inter barbaros, ac nittitur tota vi ut Arminium feriat: at, brevi, in humero, in latu, in dextera, in gena sauciatur. Modo fulvus ille dux, ipsam librans aquilae hastam, ex qua Vari cervix pendebat, nutanti jam fronti minitatur ictum gratiosum. At agilis ille cuspidem vitat; simul dexteram hostis gladio percudit: qui accepto vulnere relaxat digitos.

Horridum trophyum in fluctus corruit; at iuvenis subripit illud, seseque elata parmula tegens, in undam

proicit: ac, licet sanguinem per vulnera quatuor emitat, supremis viribus lintrem aliam hostibus vacuam arripit, concendit, fractus tandem in ea requiescit.

Fit interea circa Arminium pugna suprema dum diffluit medios per equites mediosque per hostes quae vacua apparebat rates illa funebris, inter cadavera, inter spolia fluctibus acta. Iuvenis, defixis in caelum oculis, supremam auroram contemplatur; quasi incunabula materna manu agitata, insolitum feretrum undae pulsant. Abest paullatim omnis strepitus pugnae, grataque somnia cum rigore extremo adveniunt, dum fugit e vulneribus vita :

— Vestinus sinus... Domitilla adstat in lintre, quae caris osculis medusaeam arram, dono sponsi acceptam, linit...

Moriens lento motu dexteram laevo brachio admovet, armillamque, ultimas dilectae puellae reliquias, ori appingit.

Oriente sole Romanae cladis vestigia omnia Rhenanis fluctibus innatabant. Dum per ramos silvarum prima lux inaurat aquas, mortifera scapha regium flumen ingreditur, agens rigidas iuvenis exuvias, lorica induitas, rubro sanguine madidas. Laeva corporis Varianae aquilae obstringebat hastam; dextera ad labia arram adhuc premebat.

Prope aquilam, ad pedes cadaveris, Quintilii Vari imperatoris, Iulii Caesaris Octaviani Augusti in Germanos legati, horridum caput nigricabat.

(*Finis*)

I. A. COSTAGGINI.

EUPLIUS

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata

AD "VOCEM URBIS,"

DEDICATIO.

Anno millesimo noningentesimo nono, mense Augusto, Alexandriam petiturus, Messanam urbem olim civibus divitiisque pollentem perlustrare volui, quae ob terrae motum iacebat diruta adhuc et ruinis perculta.

Dum oculis contremiscens immane urbis excidium adspicio, et corde pavidus, « subit illius tristissima noctis imago » quae supra fuit tot civibus, hic atque illuc omnia decerno, immobilis religionis tamen insignia miratus, caelum suspiciens, exclamavi: « En omnium miserorum hominum solatium, fides! » Et dum maximo dolore percussus tempora transacta recolo atque Siculorum religionem respicio, ex una re ad aliam transiliens, ad illa antiquissima perveni, quibus primum sapientia christiana ab apostolis prolata altissimas rapide apud omnes in Insula radices iecit, nec unquam in posterum vel calumniis vel tyrannorum misericordia potuit.

Tunc mihi prae ceteris gloriae luminibus circumdatus atque immortalitatis adsurrexit Euplius ille adolescens, qui nondum sacerdotio auctus, dominante Diocletiano, Catanae martyrium sustulit, probra, supplicia immania quaeque fortiter est perpessus. Sicque Siculos exemplo mortis suaे terrimae firmius in religione tenuit atque a calumniis improborum insinuiter adseruit.

Et dum navis, nullis iam fluctuum impedimentis retenta, rara quidem velocitate, aquae evaporatae vi coacta iter graditur, inter me tacitus et rapidior haec mente volvebam:

« Ecce hoc navigationis tempus inanis in otio teram? Nonne melius foret, si dum inter caelum et aquam peregrine rapior, aliquid scribam, atque sic nec inutilis admodum vivam? Et si de Euplio scripserim, qui adeo de religione optime meritus et de patria immortalē sibi gloriam sanguine comparavit? Sic et ego quandoquidem de martyre aliquantis per meritum adquisivero, si ita ad suos recentiores vestibus induitus vel comica rediverit!

Hisce mecum ipse prolatis, statim sum opus alacer aggressus, et vel inter quoque fluctuum iactationem viatorumque iactantium clamorem, primas scenas descripsi, quas mox Alexandriam adpulsus, in meliore formam redigi et prope in nonum et amplius mensem pressas tenui. Nunc tandem in vulgus prodit, atque utinam cum lectorum adprobatione!

Tres actus sunt, nec adeo breves nec longiores, quos facilime pueri qui apud nos in scholas gymnasii incumbunt, actitare optime possent, dummodo sub ductu consilioque prudentissimi magistri. Sic vel ipsi bacchanalium ludi in utilitatem vertent, et tempora quae saepius in rebus inanibus ter consueverunt, ad animorum sapientiam atque sanctitatem revocabuntur.

Si placet hanc de Euplio comoediam edere, ipsam tibi, *Vox Urbis*, libenter do, dedo, dedico, eique et Tibi candissime omnia fausta auspicor, nec non ab ipso sanctissimo christiana religionis adsertore largissime precor. Vale,